

16






16

M E D I C A T I O  
M U L L E R I S  
P L E U R I T I C A E .

Q U A M  
Divino adjuvante Numine,  
S U B P R A E S I D I O  
V I R I C L A R I S S I M I

D. H E N R I C I R E G I I,  
Reip. Ultrajectinae Poliatri, & Medicinae  
ac Botanices Professoris Ordinarii,

*Publicè examinandam proponit*  
CHRISTIANUS POELHUYS, Amstelo-Batav.  
*Ad diem 11. Novembris hora nona matutina.*



*Natura & Industria.*

T R A J E C T I ad R H E N U M  
Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK,  
ANNO 1646.



○ I *Patri Charissimo* M

**D. IOANNI POELHVYS,**  
Mercatori in Amstelodamensium  
Rep. vigilantissimo, civi dignif-  
fimo, Filiali amore, quoad vivam,  
perpetuò colendo,

*Hoc exercitium Medicum*

Dedicat & consecrat

**CHRISTIANUS POELHUYS**



M E D I C A T I O  
M U L I E R I S  
P L E U R I T I C Æ.

## I.

**M**ulier sanguinea, plethorita, triginta annos nata, lin-  
tea, flante borea, sub dio lavando, vehementius inca-  
luit; & postea, ab opere quiescens, plus justo fuit refri-  
gerata. Postridie illam invasit dolor acutus, sternum & latus  
dextrum, à clavicula ad hypochondrium usque, occupans, cum  
angustia pectoris & horrore; quem paulo post subsecutus est ca-  
lor perpetuus; difficilis, parva, & crebra respiratio; tussis mole-  
sta; sputum rubro & flavo colore tinctum; pulsus durus, fre-  
quens, creber, inæqualis. Eaque symptomata jam fere per vigin-  
ti quatuor horas durant.

## II.

*Partes, quæ in hac ægra afficiuntur, sunt mediastinum, pleura,  
& pulmo; quod ex dolore acuto, sternum & latus dextrum, à  
clavicula ad hypochondrium usque, occupante; item ex difficili  
respiratione, & sputo cruento, tussi rejecto, est manifestum.  
Afficitur etiam cor & totum corpus, ut patet ex febris, quam to-  
tius corporis ardor, & pulsus creber, frequens, & inæqualis  
indicant.*

## III.

*Morbus, quæ laborat, est inflammatio pleuræ, pulmonum, &  
mediastini erysipelatodes, quæ, dolorem lateris pectorium;  
difficilem respirationem; tussim; febrem continuam; ac sputum  
cruentum producens, pleuritis vulgo nuncupatur.*

## IV.

*Causa procatartica hujus morbi est lotio linteorum, flante  
borea, ad magnam usque corporis incalescentiam, quam dein-*

de refrigeratio magna subsequatur, sub dio facta. Hinc enim  
enim sanguis copiosus in vasis existens ( qui hujus morbi causa  
est *antecedens*), præter modum fuit calefactus & attenuatus; ac  
pars ejus sese extra vasa in pulmonum, mediastini, & pleuræ  
substantiam effundens, & postea à boreali aeris frigore, dum  
ægra ab opere quiescebat, coagulata, & per conceptam putre-  
dinem ibidem plus justo in calescens & effervescens, *continentem*  
huic morbo, ejusq; symptomatis, suppeditavit, & etiamnum sup-  
peditat causam.

V.

Nam fervidi isti humores, in lateris dextri membranas,  
pulmonum, mediastini, & pleuræ partes, à clavicula ad hypo-  
chondrium usque, illapsi, easque tendentes & in tumorem at-  
tollentes, acutum ibi patiuntur dolorem, qui respiratione, tumi-  
das istas partes vehementius dilatante & contrahente, auctus,  
magnamq; pectoris angustiam pariens, respirationem facit dif-  
cilem, parvam, & crebram.

VI.

Materia vero in partibus istis putrescens, & sese primò in ve-  
nas copiose per earum poros refundens, non satis bene cum te-  
pido venarum sanguine fuit mixta; atque ideo ea ad cor relata,  
instar olei in ignem copiosè effusi, nec bene cum eo mixti, ca-  
lorem cordis & sanguinis in eo ardentis imminuendo, spiritusq;  
animales, per inordinatam pororum cerebri, ex inordinato fi-  
brillarum nervi sextæ conjugationis motu aperti, dilatationem,  
in totum corpus inordinate sese movendo, horrorem, totum cor-  
pus refrigerantem & convulsivo motu illud concutientem, pri-  
mò induxit. Hunc postea insecutus est calor ingens; quia ma-  
teria illa putrida, cum sanguine deinde accuratius mixta, po-  
rosque tales, in quibus subtilis materia sese cum partibus san-  
guinis vehementius potest movere, adeptæ, magnam in corde  
& toto sanguine effecit effervescentiam: qua partes aliæ sangui-  
nis putridæ, viscidæ, & duræ, quæ ex partibus affectis in ve-  
nas postea perpetuo relabuntur, cum sanguine, jam valde ca-  
lente, exquisitè mixtæ, perpetuum in corde & toto corpore  
febri-

febrilem excitant fervorem, pulsu duro, frequenti, crebro & inæquali sese prodentem.

VII.

Et quia pars istius sanguinis, in pulmones effusi, ad bronchia pulmonum fertur, eaque tum copiâ, tum calore, tum acrimonia vellicat; porosque cerebri, in musculos thoracis spectantes, aperiendo, spiritus animales copiosos in illos musculos identidem immittit: hinc oritur molesta tussis, sanguinem rubrum & subflavum, non à pleura, quæ plerûq; à pulmone est separata, sed ab ipsis pulmonibus eo facile venientem, cum magno dolore expectorans.

VIII.

Contingit aliquando pleuritis à sola pleuræ inflammatione: sed ea nullo sanguinis sputo, præsertim in morbi principio, est comitata: cum pleura à pulmonibus naturaliter sit disjuncta, ac proinde sanguinem facilius in cavitatem thoracis, quam in pulmones, per duas tunicas satis densas & integras, sit transmissura.

IX.

Morbus hic, propter vehementiam symptomatum, partes affectas, & empyematis metum, valde est periculosus, ideoque valde circumspècta curatione erit curandus. Eaque consistet in causæ antecedentis, continentis, intemperiei, & doloris ablatione.

X.

Primò itaque, ad sanguinem commodissime à partibus affectis revellendum & evacuandum, aperiatur vena brachii dextri lateris, & sanguis educatur ad uncias decem vel duodecim.

A venæ sectione injiciatur talis clyster alterans & purgans;

℞. malvæ, bismalvæ, mercurialis,

violariæ an. m. j. s.

hordei mundati. m. j.

prunor. damâscen. paria. vj.

decoq. in aqu. comm. q. s. ad. lib. j. s. in qua dissolue

R 3

diaca



diacathol. sacchari rubri ana vnc. j.

olei violar. vnc. j. s, vitellum ovi No. j.

misce fiat Clyster, subinde reiterandus.

Si dolor his non imminuatur, venæ sectio poterit eodem die,  
vel postridie, imo etiam aliis diebus pluries reiterari.

Thorax, parte ea qua dolet, linteis, vel spongiis lacte tepido  
imbutis & expressis, aliquamdiu fatus, linatur hoc linimento:

℞. olei amigdalor. dulc.

violacei an. vnc. j.

ungenti altheæ vnc. s. Misce.

Et de hoc sequenti decocto ter quaterve in die haustū bibat:

℞. fol. violaria, borraginis, scabiosa,

buglossa, bellidis an. m. j.

capill. veneris, ungula caball.

flor. papav. rhæados. an. m. s.

glyceriza rasa vnc. s.

prunor. damascen. num. x.

passular. vnc. j. s.

decoq. in aqu. comm. q. s. ad lib. j. s.

In colaiura dissolve syr. capill. ven., violac.,

papaveris rhæad. an. vnc. s. misce, F. Apozema.

Interdum bibat haustum tenuis cerevisiæ, in quo dragma u-  
na salis prunellæ sit dissoluta.

Ad sputum facilitandum utatur hoc linctū:

℞. syr. capill. veneris, violac.,

de liqueritia an vnc. j. Misce.

Si dolor ingens urgeat, hoc utatur bolo anodyno, & mate-  
riam acrem retundente, ac dissipante:

℞. requiei nicolai, theriaca an. scrup. j.

laudani opiati gr. iv Misce. F. bolus, vesperi sumendus.

Et hoc utatur Cataplasmate:

℞. caricar. vnc. iij.

decoquantur in lacte q. s. & contundantur

cum ol. camomillor. q. s. ac fiat

Cataplasma, cum linteo calide adhibendum;

Si

## XI.

Si, ex dolore in eodem loco fixo, & febris aucta, suppuratione metuatur, ea erit promovenda hoc emplastro:

℞. rad. altheæ mund. vnc. ij.

lilior. alb. vnc. j. enula camp. vnc. s.

fol. malva cum rad., violaria an. m. ij.

flor. camomill. meliloti an. m. j.

bullis & colatis adde

farin. fenigraci, frumenti an. p. j.

fermenti acris dragm. ij.

pingued. porci, butyri an. vnc. s.

olei amigdal. dulc., communis an. q. s.

croci dragm. s.

M. F. emplastrum.

Ubi pus est genitum, quod ex imminuta febre constabit, danda opera ut abscessus rumpatur tussi, sternutatione, vomendi conatu, fortiori loquelâ.

Abscessus, versus interiora pulmonum ruptus, detergendus hydromelite, & decocto pectorali.

Si pus sese effundat in cavitationem thoracis, caustico latus, intra quintam & sextam costam, est aperiendum, & pus moderata quantitate educendum.

Quanquam enim pus, in pulmonibus existens, ore frequenter expuatur; vel per cor & arterias, atque inde per intestina; vel per renes in vesicâ, ac tandem per vrethrâ sæpissime excernatur: nequaquâ tamē mihi verosimile videtur, pus in thoracis cavitationem effusum, per sputum vel urinam vel alvū, satis excerni posse.

## XII.

In *dieta* aer sit temperatus & ad calidum inclinans. Cibus in principio sit tenuis ex jusculis gallinarum, cremore ptisanæ, emulsione amigdalata: qui postea plenior poterit offerri. Concedi hic possunt amigdalæ dulces, uvæ passæ, mala dulcia, malva, endivia. Potus sit cerevisia tenuis; vinum vitetur usque ad finem morbi. Quies imperetur. Somnus sit solito longior. Excrementa alvi Indies movenda.

# Corollaria.

1. **S**anguinis protrusio è corde fit in diastole.
2. **S**cordi nulla est facultas attractrix.
3. Separatio excrementorum non fit ab anima vel ulla spontanea tractione.
4. Spiritus animales generantur in ventriculis cerebri.
5. Cor movetur non tantum per rarefactionē sanguinis in ventriculis; sed etiam per spiritus in fibras ejus influentes.
6. Convulsionis causa est spiritus vehementius in musculos influens, valvulasque eorum præter voluntatem aperiens.
7. In membri sphacelati extirpatione amputationem præstat fieri in parte viva, quam è mortua.
8. Morbus Ledit primo & per se actionem.
9. Dantur partes insensibiles.
10. Omnis morbus contagiosus non est malignus.
11. Vbi simul venesectione & purgatione opus est, venesectio purgationi est præmittenda.
12. Calidum innatum non permanet in nobis ad ultimum vite terminum.
13. Quamvis chylus ex ventriculo & intestinis in venas gastricas & mesaraicas feratur; nihil tamen periculi est, ne sanguis ex illis venis in ventriculum & intestina infundatur.

**F I N I S.**


00 A 6396

ULB Halle 3  
002 928 167



*St*





rollaria.

& pulsus in eo tantum differunt,  
animali, hic à naturali facultate per-

Aff. *undam opinioni. alimenta temporis*



16

M E D I C A T I O  
M U L L E R I S  
P L E U R I T I C Æ.

Q U A M  
Divino adjuvante Numine,  
S U B P R Æ S I D I O  
V I R I C L A R I S S I M I  
D. H E N R I C I R E G I I,  
Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ  
ac Botanices Professoris Ordinarii,  
*Publicè examinandam proponit*  
CHRISTIANUS POELHUYS, Amstelo-Batav.  
*Ad diem 11. Novembris horâ nonâ matutina.*



TRAJECTI ad RHENUM  
Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK,  
ANNO 1646.

